



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Episcopo Meldensi, sancti Pharonis Meldensis & de Latiniaco Parisiensis  
diocesum Abbatibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

cium æquitatis. Quia verò Legatus eundem Episcopum habens de dilapidatione suspectum, ipsum, ut dictum est, à temporalium administratione suspendit, nos episcopatui pariter & Episcopo paterna volentes sollicitudine providere, mandamus quatenus interim eandem administrationem aliquibus de Capitulo Ecclesiarum Tervisina utilibus & idoneis ad hoc auctoritate apostolica committatis, qui proveniunt episcopales & alia colligentes fideliter & servantes, necessarias & moderatas expensas de ipsis proventibus Episcopo sine difficultate ministrent, omnem omnino alienationis speciem interdicentes eisdem, recepto ab eis super hoc corporaliter jureamento. Si verò dictus Guertius aut foro ejus possessiones seu alia bona Ecclesiarum Tervisina temere occupavit, vos ad restitutio[n]em earum per censuram ecclesiasticam appellatione remota veritate cognita compellatis. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani 111. Nonas Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

PISTORIENSI EPISCOPO.

Epi. 198  
Confirmat cō-  
fuetudinem  
quādam Ec-  
clesie Pisana.

Venerabilis frater noster Pisanius Archiepiscopus per suas nobis litteras intimavit quod in ejus Ecclesia fuit ab antiquis temporibus observatum ut nullus in Canonicum reciperetur ejusdem nisi prius Ecclesiis, si quas haberet in Pisana dioecesi, resignatis; ut per hoc subtraeta eis evagandi materia, quasi necessitate interposita residendi, sedula ipsi Ecclesiae obsequia exhiberent. Nunc autem Canonicus ejusdem Ecclesiarum querentes quae sua sunt, non quae Christi, per amicos suos ambitiosè procurant ut ad Ecclesias quas in praefata dioecesi vacare contingit contra dictam confuetudinem elegantur. Propter quod Pisana Ecclesia debitis obsequiis defraudatur, & erga eam populi devotio refrigerescit. Vnde nobis humiliter supplicavit ut V. Pisano Canonico, qui nuper est in Plebanum Ecclesiarum Calcensis electus, super eadem silentium imponentes, praefatam confuetudinem observari firmiter faceremus; praesertim cum ex Ecclesia Pisana proventibus ejusdem Canonicus valeant congrue sustentari. Quocirca mandamus quatenus sollicitè de confuetudine inquiringens praefata, si eandem fuisse talem constituerit, & Ecclesia memorata proventus ad congruam provisionem Canonicorum sufficiunt praedictorum, præcipiens eandem confuetudinem inviolabiliter obser-

vari, jam dicto Canonico super plebejam dicta perpetuum silentium sublatu appellationis impedimento imponas. Testes autem qui fuerint nominati &c. Tu denique frater Episcopo &c. Datum Laterani 11. Non. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

EPISCOPO MELDENSI,  
sancti Pharonis Meldensis & de Latiniaco  
Parisenis diocesum Abbatibus.

Epi. 199.  
Adversus frag-  
dem crucelg-  
natorum.

In suante Mathilda nobili muliere quondam uxore inclytæ recordationis Philippi Comitis Flandrensis nos accepisse noscat quod cum H. mercator in nundinis Insulae à quibusdam suis creditoribus super debitis traheretur in caulam, res suas de mandato judicium ejusdem loci detentas petuit in pace dimitti, afferens in eodem foro se juri per omnia pariturum. Cumque respondere coepisset sub examine Scabinorum, & uni satisficerit creditori, ut instantiam eluderet alterius debiti non modicum exigentis, signum crucis vesti, non menti, latenter affixit, nitens ob hoc iudicio se subtrahere inchoato. Iustitiarius autem, ne dolus illius loci ejusdem servatae diutius ac juramento firmatae fraudem pareret in posterum, & ipse de sua malitia commodum reportaret in alterius detrimentum, ipsum modo detinuit consueto, suoque tradidit creditori vinculis astringendum, ut bene detenus redderet quod fugitivus nifus fuerat asportare. Cujus facti occasione venerabilis frater noster Remensis Archiepiscopus memoratum locum supposuit interdicto, personam praefatae nobilis excommunicari tamque terram illius interdicti præcipiens nisi prænominatum H. de sui creditoris manibus eriperet violenter. Propter quod eadem nobilis ad apostolice sedis recurrentis auxilium, à nobis in hoc suæ provideri justitiae postulavit; maximè cum nihil habeat, sicut dicit, in dioecesi Archiepiscopi memorati. Nolentes autem quod eadem nobilis sui juris dispendium patiatur, discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus cum ipsa se afferat nihil habere in Remensi dioecesi ratione cuius praefati Archiepiscopi debeat jurisdictioni subesse, nisi per appellationem fuerit ad eum causa delata vel extiterit delegatus, cum Legatus non fuerit, ram interdicti quam excommunicationis sententias supradictas cognita veritate, appellatione remota, denuntiatis penitus esse nullas. Alioquin ab eadem nobili quod juri

## 704 Epistolarum Innocentij III.

pareat idonea cautione recepta, eadem sententias relaxetis, injuncto nobili memorare quod de jure videritis injungendum. Super aliis verò, vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propositis, quod justum fuerit appellatione postposita stantibus, sic occurrit malitiis quod salva iustitia nec lèdat immunitas cruce signatis induita, nec immunitatis beneficium ad iniquitatis defensionem trahatur ab aliquo in alterius lesionem. Nullis litteris veritati & iustitiae praejudicantibus à sede apostolica impetratis. Quod si non omnes &c. tu, frater Episcope, cum eorum altero &c. Datum Laterani Nonis Ianuarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

*ARCHIDIACONO GRADENSI,  
& Archipresbytero Capitis Ageris  
Clugienfis diocefis.*

Epiſt. 100.  
Ei confirmatur  
plebanus de  
Rivoalto.

**S**upplicavit nobis dilectus filius Petrus Pino Subdiaconus noster Canonicus sancti Marci ut cùm venerabilis frater noster Episcopus Cremonensis apostolicae sedis Legatus plebanum Ecclesiae sancti Iohannis de Rivoalto, cuius donatio ad nos erat secundum statuta Lateranensis Concilij devoluta, canonicè sibi duxerit concedendum, concessionem ipsam apostolico dignaremur munimine roborare. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus plebanum ipsum ei, sicut justum fuerit, confirmantes, faciat ab eo pacificè possideri, contradicentes, si qui fuerint, vel rebelles per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo mediante iustitia compescendo. Datum Laterani v. Non, Ianuarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

*ABBATI SANCTI FELICIS  
& Archipresbytero Capitis Ageris  
Torcellane & Clugienfis diocefis.*

Epiſt. 201.  
Similis argu-  
menti.

**S**ignificavit nobis.. Archidiaconus Gradenfis quod cùm plebanus Ecclesiae sancti Apollinaris de Veneriis tanto tempore vacavisset quod secundum Lateranensis statuta Concilij ad nos ejus erat donatio devoluta, venerabilis frater noster Episcopus Cremonensis apostolicae sedis Legatus attēdens redditus archidiaconatus ejusdem penè penitus esse nullos, plebanum prefatum sibi legationis auctoritate concessit. Vnde nobis humiliter suppli- cavit ut concessionem eandem apostolico dignaremur munimine roborare. Ideoque discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus quatenus vocatis qui fuerint

evocandi, & inquisita plenius & cognita veritate, si redditus archidiaconatus ejusdem adeo esse inveneritis tenues & exiles quod non possit de ipsis dictis Archidiaco- nus congruè sustentari, plebanum praedi- cūm eidem, sicut justum fuerit, confir- metis, & faciat ipsum pacifica ejusdem possessione gaudere, contradicentes, si qui fuerint, per censuram ecclesiasticam ap- pellatione postposita compescentes. Tu denique, fili Abbas &c. Datum Laterani iv. Non. Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

*MORINENSI EPISCOPO.*

**C**ontingit interdum quod dum cleri- cali chartere insigniti ad turpia lu- cra divertunt & secularibus negotiis se im- miscent, clericale nomen abominabile redi- ditur cordibus infirmorum. Sanè, sicut accepimus insinuantibus nobili viro Comite Flandrensi ac nobili muliere Mathilda re- lista quondam Philippi Flandrensis Comi- tis, in diocesi tua quidam existunt qui nec in modo tonsuræ nec in vestitu forma nec in qualitate negotiorum de clero quic- quam ostendunt, ad pœnas subterfugium se clericos exhibentes; quia cùm super ex- cessibus quos seculari luxu committunt ad publica judicia pertrahuntur, circuncis- crinibus, ut possint circumvenire vindic- tam, se pro clericis repräsentant, clericis fori privilegium labiis allegantes, qui factis paulò antè negaverant clericatum, dumque repentina tonsura pœnas elidunt quas intonſi perversis actibus meruerunt, per impunitatis fiduciam nutritur in eius- dacia delinquendi, & dum impune delin- quunt, quibusdam efficiuntur in scandalum & aliis in exemplum. Vnde quia privile- gium meretur amittere qui permisso sibi abutitur potestate, ac frustra legis auxi- lium invocat qui committit in legem, vol- lumus & mandamus ut tales, si tertio à te commoniti se ipsos contemplent emenda- re, illius efficiantur immunitatis exper- tes qua pro clericorum tutela & laicorum violentia coērcenda noscitur instituta. Tu denique, frater Episcope &c. Datum La- terani v. Idus Ianuarij, pontificatus nostri anno decimoquinto.

*In eundem modum scriptum est Atrebatten- sis Episcopo. In eundem modum scriptum est Tor- nacensis Episcopo.*



*ABBATI*